

QK 229 -13

(X2018975)

601.
Yc
831

HISTORIA
SOCIETATIS DISQVIRENTIVM
ad
VIRVM

Nobilissimum atque Consultissimum

IOHANNEM CHRISTIANVM
SCHROETERVM

novo DOCTORIS IVRIS titulo
conspicuum
fausta gratulationis ergo
scripta

A C O L L E G I S

I E N A E

PRIDIE KL. AVGVSTI. A. C. CIO IOC LXXXIII.
Literis WERTHERIANIS



122



HISTORIA
SOCIETATIS DISQVIRENTIVM

AD
VIRAM

Nobilissimam acque Consuetissimam

IOHANNEM CHRISTIANVM
SCHROETERVM

NOVO DOCTORIS IVRIS TITULO

CONSECUTVM

suas gratulationes ergo

scripsit

A C O L L E G I S

J E R A M A E

ERUDITAE ACADEMIAE A. G. MDCCXXXIII.

Johannis WERNERIANUS

55



V. I. R. O
Nobilissimo atque Consultissimo

IOHANNI CHRISTIANO
SCHROETERO

V. I. D.

SOCIETAS DISQUIRENTIVM

S,



Non tam gravissimis eruditorum
sententiis, quam assidua & fere quotidiana
experientia est demonstratum, res
omnes in hoc versatili totius mundi thea-
tro, ubi ad definitum in fortunæ folio gra-
dam ascenderunt, primum leviter subsi-
stere, tum pedetentim subsidere, donec
præcipites iterum ruant ac concidant: ut sic in hac constan-
ti omnium vicissitudine de nulla re alia, nisi sola fortunæ in-
constantia, gloriari possint. Dies siquidem diem edocuit,
potentissima quæque orbis Imperia in ipso majestatis flore de-
liciiis elanguisse, & tantum non semper opinione celerius fuis-
se excisa. Ipsa doctorum lingua vernacula ad ravim usque
succlamat, se admodum dedidicisse commode & ornate lo-
qui, postquam Romanæ eloquentiæ principi lingua fuerit
evulsa. Et optandum omnino, temperarent sibi aliquando,
laudem inanem ex variarum linguarum gloriosa ostentatio-
ne cauponantes, a tot vocabulis peregrinis, Germanici nostri
sermonis puritatem prostituentibus; ne illa in triste omen,
linguæ turpiter corrupendæ porro videantur accipiendæ.
Quid autem nobis, VIR NOBILISSIME, potuisset accidere
unquam optatius, quam si Societas nostra Disquirentium,
inviçto semper perstitisset vigore? Quid ad perficienda no-
stra

stra studia accommodatum magis, quam mutuum singulorum in commune consulentium certamen? Quid Tibi his temporibus jucundius, quam plena numerosi Collegii acclamatio? Ferenda tamen tantisper hæc fata decumbentis Societatis, dum nova illam paulatim manere rursus incipiant. Qua spe ostensa, & serenius jam, nisi prorsus fallimur, nobis affulgente, incendit nos cupiditas, ut arbitramur, non reprehendenda, cum animis nostris (quoad modo mens poterit, respicere spatia præteriti temporis) recordandi brevem illius historiam, atque huic relatæ in commentariolum nomen tuum inscribendi. IOHANNES ANDREAS BOSIVS, cum haberet duas præcipue res, quibus per orbem terræ cum laude summa vulgaret nomen suum, optimarum artium scientiam, & sagacissimi ingenii gloriam, quarum altera vivo eripiebatur nunquam, altera ne mortuo quidem, ut ipsius post fata quoque memoria splendori ac decori sit Academiae Salanae; omne suum studium, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem apud cultores literarum, quæ ad humanitatem pertinent, bene posuit, statuitque, se in eis non officii solum fructum, sed pietatis etiam præconium posse quærere. Expertus vero, quam maximo esset bonis omnibus adjumento conjunctio consuetudinis studiorumque, nihil habuit antiquius, quam ut caperet consilium, cujus explicatio utentibus futura esset maxime salutaris. Atque reperit profecto, cum, de amplissimo Lipsiensium Collegio Gelliano sumens exemplum, mercatum literarium selectioribus quibusdam ingeniis, quæ in rectissimis studiis ac humanitate versarentur, & cum omnibus Musis rationem haberent, indixit: ad quem certatim venientes legitimi antiquæ sapientiæ hæredes, eximiaque eruditione, conspicui octo Magistri, VIII. KL. Iulias, Anno Christianæ Æ-
rz CIO IDC LXXII. amicam invicem Societatem Disquirentium, de voluntate tanti literarum herois inierunt. Vir idem inclitus in commilitium hoc adscitis modum literati otii constituit, in eam curam unice incumbens, ut, quod Collegium,
ipfi-

ipsius auspiciis constitutum, per ipsum simul esset quam ornatissimum. Animo nimirum habebat probe cognitum, comprehensumque, deesse corpori istiusmodi mentem non posse, cujus, nisi constitutionibus confirmetur, membra, neque ipsa se sustineant, neque quæ sint singulorum functiones decenter obeundæ perspiciant expedite. Possemus illum (si liceret parva magnis componere) alterum appellare, Lycurgum, qui certe nostram ordinando Spartam Laconiam non erat secundus. Hinc nostras leges videas, mole quidem paginarum perexiles, sed rerum & verborum ex aureo linguæ seculo depromptorum pondere gravissimas, ab ipso olim rogatas, ut styli elegantia & dignitate XII. illas Tabulas multum antecellant. Quare de capite corpori tam bene informato non erat anxie dispiciendum, cum BOSIVS Argo omni oculatior. Quis enim potius fuisset deligendus, quam felicissimus omnis reconditæ antiquitatis promus, qui legum spiritu emortuos alias artus animaverat, & genuinum animæ ipsius domicilium suppetebat? Hoc principe & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum existente, Collegæ honestissimis artibus eruditi, periclitando suas vires, in iis ingenii exercitationibus, in iis curriculis mentis defudarunt atque elaborarunt, ut quos ex mutuis operis debitos expectarant fructus, brevi uberiores ac præstantiores caperent. Etenim, si quando a reliquis suis magis arduis laboribus nacti essent pusillum laxamenti, ex omni elegantiori literatura, in suis singuli museis, colligebant notatu digniora, eaque expolito genere orationis de scripto referebant ad conventum, intra unumquodque octiduum semel celebratum: quæ tandem in librum his usibus destinatum summa, cum cura congerebantur; postquam ad alterius pensum, quæ quisque vellet, dubia vel affinia blando colloquio comiterque essent in medium prolata. Nisi temporis excluderemur angustiis, summa tantum capita actorum huc transscripta illustri documento fidem suam possent interponere: quamvis hanc non requireret, qui BOSII iudicio tantum limatis-

tissima & politissima fuisse probata non est nescius. Causa propterea nihil est, cur nobis de tam insigni thesauro non gratulemur impense, quem etiam B. HENRICVS LIETHIVS, vir spectatae integritatis raræque eruditionis, in tantis habuit deliciis, ut muneri jam præpositus, quo contra omnium expectationem ante diem est defunctus, librum a Societate per literas summa cupiditate expeteret. Sed BOSIVS, cum nondum Societas integrum florisset biennium, vita concessit. Concessit? O fata funesta Ienæ, acerba Societati, gravia bonis omnibus. Commovemur animis, perhorrescimus toto corpore, mœrore fatigamur, flectimur, frangimur, dum magni illius ac incredibilis doloris non satis explicandam recordationem altius repetimus; dum fletus necessariorum, gemitus eruditorum, luctum Academiae, squalorem Disquirentium, mutatas mœstitia vestes redigimus in memoriam. Itane mentis aciem cum oculis hebescere, labia orationis flumen aureum fundentia arefcere, linguam ad stuporem usque sacundam obmutescere, Ordinis denique nostri conditorem condi sepulchro oportuit? Bene interim est, quod IOHANNES SCHILTERVS, Vir supra omnium laudem invidiamque illustris, pro sua summa in omnes naviter & strenue studiis optimis deditos benevolentia, a nostris se facile exorari humanissime est passus, ut viduam Societatem patrociniò juvaret ac præsidio, atque lumen illi de suo lumine accenderet. Quo nos divino beneficio ipsi adeo obstrinxit, ut omnium essemus ingratisissimi, qui animis nostris effluere tantum munus pateremur, aut minimum non frequentes omni ratione laudem Ipsius celebraremus & extenderemus. Quanquam quid audes protervalingua? aut quid recipis imprudentius? Tu ut Virum dignis in cœlum prædicationibus efferre, aut buccinator existimationis Ipsius esse possis? cujus meritorum nullam partem, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia omnis Germania potest consequi. Iudicent, qui sunt ingenii subactioris, quam conatu plane incomparabili libertatem Eccle-

siis

siis Germaniæ Commentario plus quam aureo asseruerit, nos taciti veneramur affectatæ Romanæ dominationis vindicem, qui ut in dies magis atque magis alter Cicero, pater patriæ, de Germania libera bene mereri pergat, nostræque imprimis Societati laboranti succurrat, agræ medeatur, afflictam excitet & salutaribus fulciat subsidiis, precibus omnibus oramus atque obtestamur. In hoc igitur re vera magno Viro restitutum nobis in integrum, imo prorsus cum fœnore, quod jacturæ in BOSIO feceramus: annique plures, quamdiu de sua Disquirentes frequentia & industria remitterent nil quicquam, pristinam illis dignitatem tuebantur. Sperasses eam majorem in modum iri adauctum, cum bellis tandem aliquando confectis pax novis fœderibus confirmata, majora semper atque majora studiis sponderet incrementa. Hanc quidem nos etiam in spem & cogitationem meliorem induxeramus animum, donec urbes Misniæ primarias lues pestifera invaderet, stragem non minorem Thuringiæ vicinæ minitata. Tum enim objecta per rumorem hac re, terribili tremere & exalbescere, inclinari paulum timore, debilitari, frangi, omnes cœperunt; & fere plerique diutius hunc metum non sustinuerunt, quin sua quisque corriperet, ac (quantumvis plus in metuendo mali esset, quam in illo ipso quod timebatur, Ienaque in hunc usque diem, singulari Dei beneficio, ab omni penitus contagione fuerit immunis) hinc prope demigraret. Sic vidua olim Societas nunc liberis non tantum orbari, sed reliquis etiam, qui instaurandæ denuo ac renovandæ non parvam expectationem sustinerent, carere, ab industria sua avocari, pleraque frigidius agere, quid multa? filere, languere, denique vix amplius comparere visa; nec oculos iterum sustulit prius, quam Tu, VIR NOBILISSIME, semisopitam salutare. Ex eo quid egerimus, & in quam curam pro viribus incubuerimus, quæ fuerit ratio nostri instituti, ad quos libros majori accuratatione evolvendos Acta Eruditorum Lipsiæ publicata, nos novo exemplo invitaverint, Tu ipse habes optime perspectum atque exploratum:

24 831 01
tum: ut his prolixius percensendis possimus facile superfe-
dere. Adhuc ante oculos obversatur pusilla nostra biblio-
theca, cum collegarum, qui a Societate alio discesserunt,
gratissima recordatio, tum maxime patronorum IOANNIS
SCHILTERI, & SEBASTIANI NIEMANNI muneribus
magnifice ac splendide amplificata. Hæc tuis quoque locu-
pletata geminis donariis a tuo ingenio profectis dabit fir-
mum & grave testimonium præclaræ tuæ atque solidissimæ
eruditionis, quam quidem nos laudibus celebraremus mayo-
ribus, nisi illam ab excellentissimo Iurisconsultorum Ordine
novis gloriæ insignibus videremus exornatam. Quod etsi
nunquam nobis fuerat dubium, quin esses tuis meritis con-
sequuturus, tamen incredibili sumus lætitia affecti, cum id
hodie futurum ex satis idoneis auctoribus perciperemus: &
fane, quantam afferat nobis res ea voluptatem, te ipsum non
potest fugere; qui nos, pro nostra consociatissima volunta-
te, omnibus tuis, etiam bonis minimis, non modo tanto ho-
nore gaudere, probe nosti. Publicum interea gaudii nostri
testimonium volumus has esse literas; quibus, ut sempiter-
næ tibi laudi sit iste Doctoris titulus, omni animi impetu ex-
optamus. Tu, VIR NOBILISSIME, contexes extrema,
cum primis, & tum ipse, Majorum tuorum dignitate tibi
proposita, ad summa quæque contendens, qui jam es reliqui
temporis expectatione, aliquando magnus homo bonorum
omnium iudicio eris; tum suavissimis, quod facis, verissimæ
amicitiæ officiis nobiscum diligenter sancteque perges certa-
re. Vale etiam atque etiam. Pridie Kl. Sextilis. A. C,
clō Iōc LXXXIII.



1077

n.c.

QK 229

IOHANNES

NOV

SOCIETAS

NO



ENTIVM

issimum


TIANVM

VM

IS titulo

S

XXXIII.



601



Kodak LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black